Quelle: https://manuscripta.at/?ID=38301
Copyright: Salzburg, Erzabtei St. Peter, Benediktinerstift, Bibliothek



sed in praeputio. Et signum accepit circumcisione signaculum
iustitiae et fidei quae est in praeputio. ut sit pater omnium credentium
per praeputium. ut deputetur. et illis ad iustitiam. Ut sit pater circum
cisionis his qui non solum ex circumcisione sunt. sed et his qui se
quuntur uestigia quae est in praeputio fidei patris nostri abraham.
Et paulo post. Ideo inquit ex fide. ut secundum gratiam firma sit
promissio. Omnis enim non ei tantum quod ex lege est. sed et ei
quod ex fide est abraham. qui est pater omnium nostrum. sicut
scriptum est. Quia patrem multarum gentium posuite. Item
ad galathas. Sicut abraham inquit credidit deo. et deputatum est
illi ad iustitiam. Intellegite ergo. quoniam qui ex fide hi sunt
filii abraham. Prouidens autem scriptura. qui ex fide iusti
ficat gentes deus. praenuntiauit abrahae. Quia benedicentur
in te omnes gentes. Ita ut qui ex fide sunt benedicantur cum fi
deli abraham. Iam aliquando post in eadem epistola. fratres
inquit secundum hominem dico. Tamen hominis confirmatum
testamentum nemo irritum facit. aut superordinat. Abrahae
dictae sunt promissiones et seminibus eius. Non dicit et seminibus
tamquam in multis sed tamquam in uno. et semini tuo quod est xpus.
Item paulo post. Omnes enim uos inquit unum estis in xpo ihu.
Si autem uos xpi. ergo abrahae semen estis. secundum promis
sionem heredes. Secundum istum ergo intellectum apostolicum.
inueniuntur iudaei qui xpiani non sunt cum ex carne abrahae.
originem ducant. non esse filii abrahae. Cum enim dicit.
intellegite ergo quoniam qui ex fide hi sunt filii abrahae. profecto signi
ficat eos qui ex fide non sint non esse filios abrahae. Ac per hoc
nisi iudaeis eo modo sit pater abraham. quomodo est nobis.
quid eis prodest quod de carne eius exorti sunt. et nomen sine uirtute
tenuerunt. Cum autem ad xpm transeunt. et incipiunt
esse ex fide filii abrahae. tunc erunt iudaei non in manifesto